mina res significant: dicitur enim de unoquoque quod unumquodque est, ut, esse potest: itaque cognoscimus dictum nominum esse res: utrumque igitur eorum, quae Manichaei contraria putant, substantia vivens et ingenita nominatur, manifestumque est, cum talis error principium ducat a barbaris, esse etiam apud eos sublatam continuam notionum consecutionem: integra enim atque eadem est utriusque ex aequo descriptio, quae non modo omnem contrariorum suspicionem rejicit, sed neque differentiam ullam in iis, quae nominant, esse permittit. Ajunt autem Manichaei alterum hoc quidem bonum, illud vero malum, qualitates videlicet ante substantiam intelligentes, nominata enim, similiter in utroque substantia (sunt enim ambo substantia vivens et ingenita) supervacanea est, deinceps sunt velut qualitates contrariae, etsi enim non decet nominare in Deo qualitatem, esse tamen pro quodammodo est cogitatione, quam tale esse, substantia autem significatur, cum dicitur substantia vivens et ingenita; praeterquam si dicant propria accidere ambobus contraria, quod est omnium stultissimum: ingenito enim nihil accidit, cui enim non accidat esse, huic neque taliter esse accideret: quod non est non accidit. Qualitates igitur contrarias licet in rebus invenire, substantias vero nequaquam: album enim et nigrum contraria sunt, utrumque in corpore eadem substantia, sunt autem talia partim contraria inter se partim non contraria: primum namque subter unum genus ~~est~~ sunt; utraque enim sunt color. Deinde etsi contraria esse videantur, tamen adspectum varie delectant, neutrum enim illorum immoderatione hunc offendit: immo etiam virtus et vitium in anima: atque haec quidem contraria non solum

in